



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Eius in contubernio separato obseruantia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

illâ perfectione aut inter loquendum aut agendum disputandumve recessisset, reprehendi posset (quibus scilicet in rebus, nisi quis ad amissim perfectus sit, procliuissimus est lapsus) numquam tamen in eo vel erratum leuissimum, ne aduersus eutrapeliam quidem, obseruare potuit.

Eius in contubernio separato obseruantia.

Quamdiu seorsim in nouorum Collegarum contubernio vixit, vt erat viuum quoddam omnibus exemplar, atque imago obseruantia religioſæ, sic omnibus longè charissimus extitit eius conuictus. Nihil opus Superioribus fuit eum rei cuiusquam admonere; quin menses totos in officio permansisset, nullius monitis excitatus, tam erat in virtutem suâ sponte procliuis. E separato illo iuniorum contubernio numquam nisi potestate egrediebatur, numquam foras proeundi, aut huc illucve eundi facultatem petebat. Munera obibat omnia, nullo vñquam recusato. Numquam, dum inter iuniores collegas ageret, cum vñlo veterano; dum inter veteranos, cum vñlo iuniore Superiorum iniussu collocutus est. Fortè è vineâ suburbanâ die aliquo feriato duobus cum iunioribus reuersus, incidit in duos veteranos, qui officiosè eos inuitabant ad secum vnâ ambulandum; at Ioannes, obseruatione ordinis inter nouos veteresque discreti, abnuuit scilicet
atque

atque excusavit. Contubernio iuuenum deductus, cum Pater quidam Belga, Belgam adolescentem, Ioannis nuper in Belgio inter

*p. Ioannes
Brisselius.*

Tyrones socium, tunc Romæ separato iuuenum contubernio adiunctum, alloqueretur in Professorum domo; Ioannem fortè prætereuntem conspicatus appellat, ut præsentem altero paucis cum eo agat: at ille, legis obtentu, modestè vitare sermonem; dumque alterum abs se dimisisset, polliceri se locuturum. quo exemplo Pater mirè acquieuit. Ab alio Sacerdote interrogatus, quamdiu cum illo suo socio non esset collocutus; respondit, ex quo seorsim degere desisset, quòd iuuenum colloquio veteranis sit interdictum.

*Guilielmo
van Aelst.*

Dicitabat quasi per facetiam, optandum esse, post admissam culpam à Superiore vocari ad pœnam, quòd videretur tum quisque securior esse posse, pace nimirum cum Superiore conciliatâ. Finito separati conuictus spatio, nihil eius rei Superiorem admonuit, eâ curâ scilicet Maioribus, dum vtrò moneant, relictâ; sed quo die contubernium iuuenum deseruit, attulit Patri, qui eorum præfuerat moribus, schediolum quoddam plenum asperitatibus, orationibusque ab eo gratitudinis ergò persoluendis, obtestatus ea sibi monita discedenti daret, quæ salubria sibi in posterum fore censeret.

Quis existat fructus è pœnis obitis quas Superiores iniunxere.